DE SACROSANCTA
ET INDIVIDUA
TRINITATE
ORATIO

QUAM HABUIT IN SACELLO PONTIFICIO VATICANO

Quarto nonas Junii Anno MDCCLXXVI.

AD SANCTISSIMUM D. N.


PIUM SEXTUM.

D. D. SIRUS SANNAZZARI

PATRITIUS TICINENSIS

ET COLLEGII CLEMENTINI CONVICTOR.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



ROMÆ M.D.CC.LXXVI.

EX TYPOGRAPHIA CHRACAS,

SUPERIORUM FACULTATE.

Digitized by Google


BEATISSIMO PATRI
AC DOMINO NOSTRO
PIO SEXTO
PONTIFICI MAXIMO.

SIRUS SANNAZZARI
FELICITATEM.

QUOD honeſtius, optatiuſque hoc tempore accidere mihi poterat, ex quo me creſcere quam plurimum, ac beatum propemodum exiſtimarem, illud, Beatissime Pater, *inſperato contigit, cum id mihi muneris demandatum fuit, ut coram Te Principum, ac Paſtorum omnium Maximo, Sacroque Senatu tuo de Auguſtiſſimo* Trinitatis Mysterio *diſſererem. Cum autem de Divinis Perſonis, earumque benigna in homines voluntate pro ingenii difficultate dicerem, ipſi profecto Numini intereſſe prorſus videbar; cujus, qui vice fungeris in terris, idem, quoad homini datur, ima-*

ginem imitaris. Quod enim beneficentiſſimum Patrem, Filium Sapientiſſimum, amantiſſimum Paraclitum, tum omnes, ac ſingulas Perſonas ſalutis noſtræ ſtudioſiſſimas oſtendi, de Te, tuiſque geſtis illa videlicet prædicabam: qua ſiquidem præſtes beneficentia, tum in omnes, tum præſertim in optime de Eccleſia meritos; qua ſapientia in bene, ac ſuaviter Divinis, humaniſque omnibus gerendis; qua caritate, cum omnes paterna prorſus benevolentia proſequaris; quæ tibi denique Dominici gregis paſcendi, ſervandique voluntas, ac cura ſit, quis eſt, qui non noverit? Quis vero, qui pro rei veritate, eximiiſque Pii vi. *promeritis dignum eloqui poſſit? Qui enim ad Petri Cathedram advolaverit potius, quam contenderit, in eo præclara omnia, ac ſumma oportet ineſſe. Verum, ut ad me redeam, quæ me cauſa apud Te de Sacroſancta* Trinitate *dicturum adduxit, eadem me dicendi perfunctum munere jubet orationem, quam habui, tibi Clementini Collegii Patrono auſpicatiſſimo inſcribere, ac ſiſtere. Tu, qua ſoles,* Beatissime Pater, *ſupplicem clementia complectere; animumque adjungito, ac numen, quo ſe auctor ad majora comparet, & aſſurgat. Quod cum ex animi tui beneficentia me conſecuturum ſpero, tum illud humillime Te rogo, ut mihi in genua provoluto, ſodalibuſque meis, quam abſentes per me efflagitant, Apoſtolicam Benedictionem impertias.*

ORA-



ORATIO.

AUdebam, Beatissime Pater, audebam philoſophicæ rationis aciem intendere in faciem Dei, jamque Auguſtiſſimum Trinitatis Myſterium intueri prorſus videbar; cum me repente perſtringi lumine Divinæ Claritatis ſenſi, idemque fidei, atque obſequio in Deum intellectum ſubjiciendum putavi. Quid enim (increpabat penitus vox quædam) id tibi ſumis attingere philoſophando poſſe, quod (*a*) *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit*? Immo vero tu te collige, & omnigenam animi tui conditionem diligenter perpende; nam ſin

(a) *I. cor. 2.*

Digitized by Google

minus, quid Sacroſancta TRINITAS ſit in ſe, quæ profecto, & quanta in te fuerit, facile licebit agnoſcere. Cum enim æqualitatem in majeſtate, in eſſentia unitatem, proprietatem in Perſonis, tum in omnibus, ac ſingulis unum ſubſiſtentem Deum adoraverimus in TRINITATE, eo convertamus animum, oportet, ſi quid in rem noſtram ex tanto Myſterio redundet. Conſideremus igitur ipſam hominis conſtitutionem; perpendamus inſtaurationem lapſorum; vocationem demum noſtram ad Deum, tum multiplex ad id Gratiæ magiſterium conſulamus: cognito enim ex beneficiis TRINITATIS conſilio de nobis, hoc unum jam remanet, ut hodierni celebrationem Myſterii ſanctificatio noſtra per Dei miſericordiam conſequatur.

Scilicet effinxit hominem ex luto Pater, quem beatum faceret, non quo ipſe fieret beatus, cui vita Beatitudo eſt; effinxit ſuæ conſortem imaginis, facultatum participem (a), vultus ſui ſignatum lumine; juſtum præterea, ſapientem, integrum, eum denique effinxit, cujus libertatem exercitatio virtutis perficeret, quemque Dei mandatis obtemperatio perpetuo præſtaret incolumem. Quid ergo dignius auctore Deo, ipſique glorioſius homini proponere ſibi potuit Pater, quam ut illi jure creationis beatitudinem deſtinaret? Quid vero ejuſmodi efficacius voluntate, quam ut homo per mutuæ collatio-

(a) *Ex Pſal.* 4.

lationem operæ exequeretur, tot Gratiæ præſidiis munitus fuit, ut neque potentiæ, neque ſapientiæ, neque naturæ ſuæ theſauris Opifex Pater pepercerit? Qui ſiquidem homo ſpecies Dei erat, eum ab Archetypo ſuo recedere dignitas conditionis vetabat; qui juſtus, ſatis juſtitiæ pretium ſentiebat, nt hoc ſibi perpetuo bonum vindicaret; qui ſapiens, perſpiciebat profecto, ſua maxime intereſſe beatitudinem; qui tandem integer, non utique internorum affectuum motu, tempeſtateque rapiebatur, ut conditoris voluntate, naturæ innocentia, ſempiterna beatitudine pro ſui libidine abuteretur. Quid quod Adæ menti aderat Deus, complectebatur animus Deum, facultates, utpote Dei formæ, ſibi blandiebantur in Deo, auris denique, ac viſus colloquio, conſpectuque Dei perfruebantur: tanta porro ad beatitudinem promerendam adjuvabatur Gratia Conditoris, ut intus, foriſque torrente voluptatis Dei perfunderetur.

Cognoſcimus jam hinc Parentis conſilium de hominis felicitate, quam nec dubium, nec vulgare, nec inefficax fuerit; ſed perſpicuum, ſed beneplacens, ſed perfectum, ſed omni genere gratiæ redundans. Filii modo voluntatem, tum ex hominis conditione, cum ex ipſomet Filii opere excogitemus. Cum enim vana Divinitatis imagine deceptus irritum de ſe Conditoris conſilium feciſſet homo, juſtitiæque reſciſſa veſte, & abjecta in turpiſſimum malorum, odium ſcilicet, atque animadverſionem Judicis incidiſ-

cidiſſet, illico occurrit ei (*a*) *benignitas*, *& humanitas Salvatoris Dei*, *qui non ex operibus juſtitiæ*, quæ fecit homo, *ſed ſecundum ſuam miſericordiam* jacentem erexit, metuentem confirmavit, perditum, deſperatumque jucundiſſima veniæ, ac ſalutis ſpecie recreavit. At quam efficax, per Deum Immortalem, in Filio ſervandi hominis voluntas! Exciderat per Adæ defectionem ipſe creationis finis, laceſſitum Conditoris imperium, abruptum Religionis vinculum, repenſum injuria beneficium, eo denique deventum erat, ut ſin minus reſtituendo, aliqua ſaltem ex parte vindicando Majeſtatis juri perduellis anima repoſceretur. Cum autem duæ res uno tempore vehementer urgerent Deum, violatæ inſtauratio dignitatis, ac debita in hominem animadverſio; appoſite ſuccurrit Verbum offerens (*b*) *Semetipſum pro nobis oblationem*, *& hoſtiam Deo*; quo auctore tum Majeſtatis decus, cum noſtra ſalus reſtitueretur in integrum. Jam vero, qua, obſecro, ratione factum intelligamus, ut, quo Deo ſatisfaceret Dei Filius, ipſe ſe Deum eſſe quodammodo oblivіſceretur? Qui enim per omnimodam poteſtatem ſatisfacere pro homine poterat, eum pro dignitate naturæ minime decebat; quem vero pro peccato ſuo maxime oporteret ſatisfacere, illi per impares naturæ vires haudquaquam licebat. Attendamus ſummum conſilium, inſcrutabile Sacramentum, incom-

(a) *ad Titum* 3. (b) *ad Epheſios* 5.

comprehenſibilem Divinæ caritatis rationem. Induit Dei Filius naturam hominis, non ita tamen, ut Dei formam exuerit; ſed utramque naturam ineffabili prorſus, divinoque nexu ita copulavit, ut, quod ipſam mirabilium fidem exſuperat, una in utriſque Perſona Verbi conſiſteret: quo ſapientiſſimo facto contigit, ut unum, idemque Verbum pro humano genere ſatisfacere tum deberet, cum poſſet. Quid ſi vero exinanitum in tempore in formam ſervi, quid ſi ſpeciem referentem carnis peccati, quid ſi habitum pro nobis maledictum, quid ſi (a) *non per ſanguinem hircorum, aut vitulorum, ſed per proprium ſanguinem* Mediatorem Dei, & hominum factum Chriſtum Dominum perſequar? Quidquamne præterea in Unigeniti erga nos voluntate deſiderabimus; quem æternæ dignitatis immemorem e Patris dextera delapſum in terras, quem laceſſito Numini ſuo ſanguine ſatisfeciſſe, quem abrogaſſe mortis (b) Chyrographum in nos ſcriptum, affigendo illud Cruci, quem nobis lapſis juſtitiæ, ac beatitudinis ſortem inſtauraſſe, tum etiam pateſeciſſe ad Cœlum aditum meminerimus?

At enim quid tandem nobis humani generis redemptio prodeſſet, niſi vocatio noſtra ad Deum per ſuaviſſimum Gratiæ magiſterium acceſſiſſet? Intueamur jam ſupervenientem Spiritum Sanctum in gentes, ejuſdemque de illarum ſalute ſtudium ex mentium perluſtratione, dominatuque ani-

(a) *ad Hæbreos 9,* (b) *ex Ep. ad Col. 2.*

animorum dijudicemus. Abieramus ſiquidem, veluti per prærupta oves, in idololatriam, & in tenebras; cor autem noſtrum per tyrannidem Diaboli obduruerat ita, ut frangi potius per ſummam vim, quam inflecti poſſe videretur. Scilicet integra noſtrum victoria flanti ex mutua Patris, Filiique dilectione Spiritui debebatur; cujus eſt, intellectum non perſtringere, ſed pervadere lumine; animum vero emollire potius afflatu, quam perrumpere imperio. Novus itaque Gratiæ hominibus illuxit ordo, cui verus caritatis ſol Paraclitus præeſt; ab eo enim jugiter dimanant radii penitiores mentium luſtrantes ſinus, animoſque ad Deum per blandas caritatis delicias rapientes. Quare qui eramus (*a*) *aliquando tenebræ, nunc* equidem *lux ſumus in Domino*; *vocavit* ſiquidem (*b*) *in admirabile lumen ſuum*: qui idolorum conſtricti famulatu, præſtigiiſque capti Diaboli tenebamur, ſumus jam liberi, *ea* profecto (*c*) *libertate, qua nos Chriſtus liberavit*: qui denique Deum minime noſcebamus, eum poſſumus per Spiritum pro illius in nos caritate redamare; neque enim illum (*d*) *diligeremus, niſi prius dilexiſſet nos*. Quid igitur de ſincera Paracliti erga nos voluntate dubitemus, cum & infinita Chriſti Domini merita nobis per Amoris magiſterium accommodet, tum nos præpropera, dum adhuc *peregrinamur* (*e*) *a Domino*, jucunditate, quaſi ſempiternæ Beatitudinis pignore proſequatur?

(a) *ad Dpheſios* 5. (b) 1. *Petri* 2. (c) *ad Gal.* 4.
(d) *ex Joanne* 13. 34. (e) 2. *ad Cor:* 5.

tur? Quid ni, cum flagrantiſſimum Trinitatis de ſalute noſtra conſilium eluceat, illud ſtudeamus perficere, ut tanto muneri, quantum in nobis eſt, per bona opera reſpondeamus?

Dignoſcamus igitur ex integræ conſtitutione naturæ Patrem, ex redemptionis beneficio Filium, ex vocatione ad Deum fontem caritatis Paraclitum: Auguſtam ſcilicet Trinitatem beatitudinis noſtræ ſtudioſiſſimam pergrato, humillimoque obſequio proſequamur; in quo tamen illud meminerimus, nullum obſequii genus tantopere probari Deo, quam cum perfecti hominis creationem Omnipotenti Patri, inſtaurationem lapſi Filio Sapienti, infidelitatis victoriam Spiritui Caritatis, tum omnibus, & ſingulis Perſonis ſanctimoniam noſtram demiſſo animi ſenſu referimus acceptam.

Digitized by Google

IMPRIMATUR.

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

Paulus Aloyſius Silva, Pro-Viceſgerens.

IMPRIMATUR.

Fr. Thomas Auguſtinus Ricchinius Ordinis Prædicatorum Sac. Palatii Apoſtolici Magiſter.

Digitized by Google